

dis Oraculis suis, instrumentis est usus, ut cum Balaam, & Caipha factum scimus. Sed hæc rara sunt exempla, vixque fieri potuisse credimus, id committere voluisse. Deum, ut simplex populus diutius in ea persuasione detineretur, suum scilicet Sanctum largitum fuisse Spiritum viris scelestissimis, atque penitiora arcanorum suorum secreta talibus revelasse, eorumque propterea ministerio uti voluisse, docendis populis, reducendisque ad rectos iustitiæ calles errantibus. Tandem ii simul omnes characteres, vel saltem plures in eodem homine iuncti, fati superque populum in cognitionem veri Prophetæ poterant deducere; vel saltem, si post hæc in errorem labi contingeret, iustam habuisset erroris sui excusationem.

Verùm si ea, quæ supra demonstravimus, vera sint, quemadmodum ne ambigendi quidem locus remanet, Prophetas nimirum Divini Spiritus illapsum pro dato temporis intervallo sensisse, ut quandoque suo spiritu, non Divinitus dictata, loquerentur; quomodo destinatos se ad munus Prophetæ, atque affari quandoque Divino Spiritu certè exploratèque Prophete ipsi noscere poterant? Poterant his potissimum indicium. 1. Cum prodigio aliquo vocabantur, ut Isaias, Jeremias, S. Joannes Baptista, ex ipso matris utero ad prophetandum destinati (r). Daniel certum vocationis suæ indicium habuit è prodigio fornacis ardentis, atque Gabrielis Angeli sibi per visum apparentis, certumque eâ de re testimonium ferentis alloquio (s). 2. Cum alterius Prophetæ invitatione ad id munus vocabantur, ut cum Elias Eliseum in curru sustulit (t). 3. Cum ab altero Prophetâ legitimo recipiebantur, ejusque probabantur testimonio, certamque ab eventu fidem Oraculis suis habebant. 4. Cum intimo lumine illustrari se, atque confortari sentirent, subitoque veluti aspectu latentia, futura, & à cognitione remotissima intuerentur. 5. Cum intimo animi sensu raperentur in amore Dei, novoque in illum studio incenderentur; cum impelli se forti suavique impressione sentirent (u); cum dilatarentur corde, os recluderetur, atque impavidè omnium in se mala provocarent, si quando in discrimen sive gloria Dei, sive ejus ministerium venisset.

Alia etiam documenta exhibet Origenes (*), recti pravique spiritus motionibus discernendis. Si Prophetâ nullam sentiat agitationem, atque in recto Spiritus, iudicii, & libertatis culmine maneat; si utilia prodat, & non infimi momenti ad bonum publicum, & Religionem, vix persuaderi unquam possumus, ut aliter quam revelatione Spiritus loquatur. Hi simul omnes characteres irrefragabile sunt documentum de illapsu Divini Spiritus in Prophetas; nec tamen si aliqui tantùm abstruxerint, jure de sinceritate ejusdem Prophetæ possumus suspicari.

r Jerem. 1. 4. Isai. 49. 1. Eccl. Luc. 1. 13. &c. Daniel. 9. 21. 22. 13. Reg. 19. 24.

u Greg. 1. 4. Dialog. cap. 48. Sancti viri inter illusiones atque revelationes, ipsas visionum voces aut imagines intimo sapore discernunt; ut sciant vel quid à bono Spiritu percipiant, vel quid ab illusione patiuntur. * De Princip. 1. 1. cap. 3. & contra Celsum 1. 7. pag. 334. Edit. Cambrig.

ARTICULUS V.

De claritate & obscuritate Prophetarum. Varius eorum sensus. Omnes in Jesum Christum collimabant.

PRO varia quidem ratione Veteris Testamenti vaticinia clara simul habenda sunt, & obscura. Quæ olim ante Christi adventum obscurissima censebantur & planè repugnantia, modò in apertam veritatem post Christum devenerunt (x). Exhibentur simul elatioris dignitatis atque vilissimæ demissionis ideæ; servitutis, & Regni; vitæ & mortis; Divinitatis & humanitatis; Israelis servati, simul & reprobat; hæc omnia in unam Jesu Christi personam conciliata, in apertam lucem prodierunt. Prophetarum oracula, quæ à ceteris divulsâ atque sejunctâ vix assequeremur, cum aliis apertissimis collata statim se produnt. Prophetia ad Messiam spectantes, ait vir doctus (y), alia aliarum rerum oracula habent adjuncta, ut earum veritate inspectâ, de illis etiam argumentum haberemus; neque particularia rerum Oracula suo fructu careant. Peculiaribus rerum oraculis coram ipsis Judæorum oculis impletis, veritas Oraculorum Messia, quibus priora illa naturali, & necessario nexu jungebantur, magis magisque asse-rebantur.

Sancti Spiritus in omnibus simul Oraculis illud potissimum fuit consilium, ut apertissima de veritate Religionis, de Messia, atque Ecclesia documenta exhiberet. Eò Scripturarum omnium varietas perdisset tamen vias collimat. Alia enim rectâ ad finem tendunt, alia per diverticula. Quæ minoris momenti oracula videntur, hæc aliorum veritati asserendæ servant. Isaias tanquam finem sibi peculiarem & singularem prædicat liberationem Achaz, eversionem Regum Samaritæ & Damasci, quarum impleta veritas argumentum erat ortus Messia è Virgine parente, quem ille simul eodemque tempore prænuñciavit. (z). Ex his duobus sibi præscriptis à Propheta finibus, ille qui proximus spectabatur, nulli erat obscurus; alter verò magis remotus vix ulli pervius, altero fulcitur (*).

Nec solos Judæos Prophetæ spectabant, cum sæpè ad alias etiam exteras nationes converterentur; ut ad Tyrios, Ægyptios, Idumæos, Babylonios, Moabitas, Syros &c. de quarum gentium historia nihil fermè novimus, nisi quantum è Prophetarum Hebræorum scriptis habemus exploratum. Omnia autem ista consilio Sacrorum Scriptorum serviebant; nempe demonstrandæ atque asserendæ veræ Religionis. Porro è re sapientissimi Numinis fuit, ut veritatis suæ documenta non ex Hebræis tantummodo, sed & ab extraneis nationibus repeteret. Quinimo, cum olim Jesu Christi Ecclesia è Judæis æque

x Vide Theodoret. in Isai. 29. 11. Aug. Tract. 9. in Joannem. Lege. Libros omnes Prophetarum, non intellexit Christum, quid tam insipidum & fatuum invenies? y Paschal Meditat. pag. 15. n. 13. Gallicè.

z Isai. 7. 8. & 9. * Vide S. Hieron. initio Comment. in Amos 7. & in Isai. 37. 30. & in Osee 12. & Riber. prol. in Comment. 12. Prophetarum.

& gentilibus colligenda esset, opportunum planè & necessarium videbatur, ut singulæ illæ gentes domestica, ut ita dicam, & aperta haberent de veritate ipsius argumenta. Factum inde, ut cum de Regno Messia Oracula in eisdem Libris continerentur, in quibus imminetia in illas gentes mala refererentur, factum, inquam, inde ut horum veritate plus nimio & sub eorum oculis impletâ, eò adigerentur populi, ut Jesu Christi veritatem volentes nolentes crederent.

Cum Judæorum populus destinatus esset à Deo, ut Divinorum Oraculorum depositum sanctè custodiret, tum & in se ipso documentum veræ Religionis præberet (a), ut videret nec tamen cognosceret, audiret nec intelligeret, par sanè fuit, vaticinia illa unâ simul & claritatem & obscuritatem præferre. Cum gentis politiam disponerent, ambages omnes abesse necesse erat; cum verò de Regno Messia aliquid proderent, tunc sacrâ caligine obvoluta omnia. Liberatorem venturum rotundis omnique captivi pronis verbis asserbant; ejus tamen dotes atque totam venturam mundum historiam per ænigmata tantùm probebant, ut hodie usque, post tantam sæculorum lucem, in lectione Moysis & Prophetarum expansum habeant ante oculos velum, veritatem necdum assequentes (b). In hisce planè Divinis Oraculis satis est claritatis pro his, qui de salute suâ laborant sollicitè; sed & obscuritatis tantum, quantum sat est, ut contradicendi dispendio suo aniam incredulis relinquunt. Judæis ipso Prophetarum ævo ad Oraculorum arcana penetrandi plurimum commodi præ nobis accedebat; sicut vicissim nobis etiam plura impræsentiarum suppetunt ad eam rem, quæ illis defuerant. Historiam illorum temporum, nonnisi sub obscuris verbis à Prophetis aliò spectantibus indicatam, vix conjecturâ assequimur. Quidquid autem ad Messiam pertinet, ejus adventum, passionem, resurrectionem, vocationem gentium, Judæorum reprobationem, Ecclesiæ constitutionem, nobis planè præ Judæis, & facile etiam præ ipsis Prophetis, planius est & apertius.

De nostræ ætatis Judæis sunt qui asserunt, ne legere illos quidem vel saltem rariè Prophetas; quasi scilicet nequid de Messia detegant, metuentes (c). Solemnis est etiam apud illos maledictio in eos, qui tempus adventus Messia exactius supputant. Servili quodam interpretationis genere oracula illa exponunt, ceu homines non planè in eorum lectione instructi, sed tantùm è Parentum quorundam relatione, atque corruptâ pluribus fabellis traditione rem tenentes.

Cum igitur ea fuerit, qualem huc usque exposuimus, vaticiniorum indoles, continud intelligimus duplicem plerumque in illis sensum distingui oportere, Literalem nempe seu historicum, punctum aliquod historię Sacræ Judæorum, sive Messia, sive externarum gentium inferentem; penitiorum atque excellentiorum alterum, spiritali Dissert. Galnet. Tom. I.

lem & generalem, qui semper Religionis statum, adventum, & Regnum Messia respicit. Ita e. g. cum oritur Messiam è Virgine Parente Isaias prænuñciat cap. 7. 14. & David de Regno Jesu Christi Psal. 109. ejusque passione Psal. 21. loquitur, nullum sibi alterum proponebant in hisce Oraculis finem, metam suam omnem in Supremo illo Liberatore collocabant. Cum verò idem Isaias 44. 28. & 45. 1. &c. victorias Cyri & libertatem ab eodem Rege Judæis in Babylonia captivis concedendam profequitur, cum Psalmista Psal. 44. magnificentiam Regni Salomonis exaggerat, didorum omnium duplex est sensus: alter historicus in Cyro, & Salomone versans, è quo ad altiora assurgendum, nempe ad alterum sensum, quem potissimum Sancti Spiritus consilio spectabat, scilicet ad Jesum Christum, sub nomine & figura illorum Principum exhibitum. Hoc est omnium simul Prophetarum consilium.

Profecè si unicum tantùm in vaticiniis sensum agnoscamus, tunc sanè pro certo constituendum est, numquam venisse Messiam, ait Paschalius, (d). Si verò duos distinguamus, venisse Jesum Christum ne ambigendi quidem locus remanet. In eo igitur tota quæstio versatur, an sensuum discrimen illud admittendum sit, an historię apud Prophetas descriptæ res sint tantummodo sive etiam figuræ; ut planius dicamus, an intimius aliquid præter id quod legentibus proditur, querendum sit, vel intra obvis sensus fines nos tantummodo contineamus.

Cum epistola aliqua magni momenti interceptur [e], ejusque lectione, quamquam apertissima sit alioqui, discamus penitiorum aliquid & occultam sensum in verbis querendum esse, quo neglecto eos, qui epistolam viderint, perinde se haberent ac si non vidissent, qui audierint veluti si non audissent; eequid tunc in mentem nobis veniret, nisi illud, duplicem distinguendum esse in epistola sensum? quod tunc maxime nobis succurreret, si in literali sensu plurima apertissima contradictione repugnarent. Jesus Christus & Apostoli tandem appositum sigillum removerunt, disruptoque velo, latentem literæ sensum pandunt.

Antequam hisce Oraculis implendis destinatum tempus venisset, quamquam de eorum fide nihil nobis fuisset ambigendum, nullum tamen de eorum veritate documentum exhiberi poterat, ait Origenes (f); rerum eventus expectandus fuit. Viri etiam illi, qui in partem prædicti à Prophetia eventus veniebant, in sua tantùm parte occupati, cum omnes verterent in sua mala curas, ad omnia simul mentem conferre non poterant. Quare res tota illis imprudentibus præterit (g). Si quis verò extra tot malorum aleam positus totum ante historię eventum simul intuetur; ille, facile mentem ad singula adhibebit, atque intellectâ rei alterius cum altera relatione, oraculi sensum assequetur. Fatentur nec semel Apostoli (h), minime affectos se quorundam Oraculorum, quo maxime tem-

a August. de Consensu Evangelist. l. 1. cap. 11. Cui (Messia) Prophetando venturo gens una deputata est, cuius Reipublica tota administratio Prophetia est illius Regis venturi, & civitatem Cælestem ex omnibus gentibus condituri. b 2. Cor. 3. 13.

c Buxtorf. Synag. Jud. cap. 3.

d Medit. cap. 13. n. 2. Gallicè.

e Paschal. ibid. c. 13. n. 7.

f De Princip. 1. 4. c. 7.

g Bossuet Praef. in Apoc. Art. 21. Gallicè.

h Joan. 2. 22. & 12. 16.

pore implebantur, sensum, quorum tandem veritatem tunc primò habuerunt perspetam, cum post obitum & resurrectionem Domini, mentem ad exacta retro tempora converterunt. Vix aliter contigisse de priscis illis Oraculis credimus. Populi nihil ultra spectarunt quam presentem rei eventum, in litera Prophetiæ designatum. Alter, in quem potissimum Spiritus Sanctus intendebat, sensus primò post adventum Jesu Christi sine ambagibus prodiit.

In expositione Scripturarum duo sunt à SS. Patribus indicati scopuli solerter cavendi: 1. Omnia ad literam interpretandi pruritus; 2. Omnia ad Jesum Christum referendi affectatio. Possit & tertius addi, si scilicet duplex sensus omnibus de Jesu Christo Oraculis tribuatur ita planè, ut omnia eà de re Veteris Testamenti habere credantur alterum literalem, & historicum sensum, neque ad Jesum Christum, nisi spirituali & figuratà interpretatione, referri.

Porò scopulus iste postremo loco indicatus, non minus ac duo illi perniciosissimus est, omnique esse conatu removendum, ex abusione virorum quorundam. Eruditorum nostrè ætatis intelligimus. Cl. Bossuet Episcopus Meldensis strenuè Grotium, quem perniciosissimum harum literarum expositionum vindicem habebat, oppugnandum suscepit. Fatetur ille quidem, plurima esse in Scripturis Oracula duplici illo sensu, quem Grotius agnovit, facile exponenda (i); nec distinetur contingere quidem sæpè, ut totus Psalmus ad Jesum non spectet; quanquam alioquin de illo per intervalla loquatur; sicut & oracula de illo obvio sensu exponenda ad alia interdum divertere. Positum est enim in moribus Prophetarum, ut ex humanis statim evolent ad Divina, & è simplici ac historico sensu subito ad Jesum Christum sive ad aliud quodcumque convertantur. Sed æquè certum constituit, plura esse de Jesu Christo tantummodò proprio & directo sensu exponenda, quæ non nisi obliquè tantummodo Davidi & Salomoni accommodari potuissent. Ita planè vir ille doctus methodum Grotii ad exactas veritatis leges redigit & moderatur.

i Vide addenda in Psal. pag. 611. 612.

k Præfat. in explicationem Apoc. art. 13. Græ. Gallicè.

Idem Præful (k), alibi mentem suam eà de re explicat, cujus hinc sententiam operæ pretium est referre. Concilium Tridentinum, inquit ille, firmitatem traditionis & irrefragabilem sanctorum Patrum autoritatem in exponendo Scripturæ sensu in eo potissimum constituit, si unanimes omnium sententia de rebus fidei & morum conveniat; in expositionibus literalibus & historicis, in quibus nil plerumque ad dogma, sive autoritatem, sed omnia sermè ad simplicem conjecturam pertinent, SS. Patrum, etiam si unanimes sint, autoritas nil facit ad fidem. Adde singularem unius prophetiæ literalem explicationem alias etiam simul & multiplices quandoque admittente. Quare ne quid moremur autoritates in utramque partem congestas, illud statuamus oportet, sedulè distinguendum esse inter autoritates SS. PP., & eorum dogma; sicut & inter privatas illorum.

sententias, atque unanimes omnium consensum. Quis planè ignorat Scripturarum penè infinitam fecunditatem, quam singularis planè sensus non explet (l)? Quis ignorat, Jesum Christum ejusque Ecclesiæ iis Oraculis designari, in quibus ad literam de Salomone, Ezechia, Cyro, Zoro-babele aliisque agitur? Consonant eà in re Catholici, Protestantæque simul omnes.

Inter oracula Prophetarum alia Religionis fundamentum ipsum respiciunt, ut de adventu Messæ & dispersione Judæorum & oracula (m). Horum sensus neque Sanctos Patres latere potuerat; perinde enim esset ac si Religionis præcipuum dogma ignorarent. Quare horum sensus potuit quidem accedente sæculorum luce clariùs manifestari, rem tamen tenere Patres atque in suis Scriptis prodere oportebat.

Illud etiam constituendum est, alia ex Oraculis non dogma quidem, sed ædificationem respicere, non ipsum Religionis fundamentum, sed accessoria, uti de Ninive, Babylone, Tyro &c. prolata Oracula. Horum expositio ex historia repetenda est, nec è Sacra tantummodò, sed etiam ex Prophana. Constat inter omnes, eorum sensum indagare singulis esse permissum. Quando verò quispiam affirmaverit, Patres in ea re non satis attendisse omnia, plus aliquid reliquisse querendum, quam sedulitate suà invenerint; ille planè eò minus è debita in tantos viros observantià recessisse credendus esset, quò ultrò fateretur, ea, quæ in hoc sacræ eruditionis studio de suo invenit, illorum se laboribus & studio non debere.

Ex quo tertia demum veritas deducitur; si quando enim contingat, Orthodoxos in expositione horum oraculorum nova quædam reperisse, non inde tamen permissam credimus facultatem, ut nova quæque dogmata pro suo arbitratu ex eisdem oraculis procedant. In expositione Sacræ Scripturæ non ita Patres literalem sensum relevant, ut nihil inde exponendum relinquatur; nisi si fortè agatur de asserendo quodam Religionis dogmate sive de Hæreticis revincendis. Toti sunt enim alioqui in morali sensu pandendo. Ita Præful ille doctissimus, cujus retulisse hinc totidem serè verbis sententiam operæ pretium duxi, quippe qui præscriptas ab illo regulas in meo isto Commentario secutus sum; nec defunt viri quidam iniquius ferentes, si fortè in alicujus sententiæ nihil ad fidem & dogmata conferentis expositione à Patrum interpretatione recedatur.

Hilarius in Psal. 63. n. 2. 3. damnare eos quidem non audeat, qui omnia in Psalmis relata ad Jesum Christum referre satagunt, credere se tamen rem fore perniciosam, significat, nec citrà dispendium veritatis de Divinitate & Incarnatione ipsius id posse committi, ut omnia ad Jesum Christum trahantur. Malle proinde se addit, ut omnia, quæ ad Jesum Christum pertinent, ea demum de illo exponantur; in cæteris pronus literæ sensus attendatur. S. Isidorus Pelusiota l. 2. Ep. 195. & l. 3. Ep. 339.

l Confer S. Aug. Conf. l. 12. cap. 24. 25. 30. 31. & l. 1. de Doctr. Christ. cap. 36. & l. 3. cap. 27.

m Bossuet ibid. art. 17.

n Vide Apolog. Orig. in Epist. deduc. Geneb. ad Carolum IX. & Origenian. Huetii & Riberam præful. 1. in omnes Prophetas. o Hom. 11. in Num.

vereri se dixit, ne omnia conantes ad Jesum Christum deflectere, ansam præbeamus Religionis nostræ adversariis, ut aperitissimis etiam de illo testimoniis refragentur. Utraque extrema æquè vitiosa censet S. Augustinus de Doctr. l. 3. cap. 9. sive quòd omnia ad literam exponantur, sive quòd omnia deflectantur ad allegoriam. Literam sequi, ait, & signa pro rebus, quæ iis significantur, accipere servilis infirmitatis est. Impingit in eum scopulum pars sanè magna recentiorum Interpretum, grammaticilibus expositionibus plus nimio indulgentium. Inutiliter, addit idem Augustinus, signa interpretari malè vagantis erroris est.

Origenes, quem virum alii, & fortè immeritò (n), de affectatis plus nimio allegoriis accularunt, plures admodum appositas regulas in eam rem præscribit. Jubet igitur, ut apertus ad literam Librorum Sacrorum textus, sensum literalem ædificandis Fidelibus idoneum offerens, non nisi literali expositione pandatur. Sanior autem Scripturæ pars eam expositionem suscipit (o). Alibi etiam, nimirum contra Celsum l. 1. pag. 39. 40. Ed. Cantab. observat, Hebræorum Prophetas variè de Jesu Christo locutos, interdum sub enigmatum & allegoriarum velamentis, interdum ambagibus amotis. Tandem, ait ibid. l. 2. Judæi, infestissimi licet Christiani nominis adversarii, nunquam tamen commiserunt, ut aliis melius quam Jesu Christo convenire vaticinia demonstrarent; satis habentes si expositionem aliquam detortam & singularem inveniant, quam Christianorum interpretationibus opponant.

Patres, & Commentatores, duos, tres, sive quatuor sensus in oraculis Prophetarum distinguunt. Docet S. Hieronymus ad Hedibiam respons. ad 12. difficul. in expositione Divinarum Scripturarum literalem sensum potissimum attendendum esse; 2. sensum tropologicum, sive figuratum; 3. Sensem spirituale, vel anagogicum. Monnet insuper ad Osee 11. in expositionibus figuratis non omnia ad literam exponenda esse de viro, cujus est in litera sermo, & sub cujus persona figura Jesu Christi, sive Ecclesiæ innuitur; alioquin, ait, non typus erit, sed historia veritas. Typis enim partem indicat. Quòd si totum præcedat in typo, jam non est typus, sed historia veritas appellanda est.

S. Augustinus de Civit. l. 17. cap. 3. tres etiam Scripturarum sensus agnoscit; sunt enim quædam Jerosolymam terrestrem designantia; sunt quæ Cœlestem; sunt quæ utramque. Priora literalem historicum sensum circa temporalem Judæorum politiam versantem constituunt. Secunda figuratum sensum reddunt; tertia tandem Textum ad utrumque sensum accommodant. Addit, non defuisse inter Authores Christianos, qui crederent nihil esse in Sacris Libris, quod ad Jerosolymam Cœlestem non referretur; i. e. historias resque omnes in Libris Veteris Testamenti relatas, totidem fuisse res spirituales & mysticas designantes; adeo ut, inquit Augustinus, juxta eorum sententiam duos tantum pro tribus supra indicatis Scripturæ sensibus distinguere oporteret.

Differt. Calmet. Tom. I.

S. Thomas 1. par. q. 1. art. 20. tres etiam agnoscit Scripturæ sensus ex uno eodemque literalis sensu deductos, nempe allegoricum, morale, & anagogicum. Consonant hæc cum recepta Commentatorum sententia, quatuor Scripturæ sensus enumerante, videlicet literalem, figuratum, morale, & anagogicum. Possent tamen commode quatuor ad duos reduci, nempe ad literalem & figuratum; quæstio est enim de vocibus.

Sunt verò Prophetiæ, quæ unum tantum & literalem sensum patiuntur; aliæ tres admittunt; aliæ duos, sive tres; qui omnes pro literalibus haberi possunt. Daniel cap. 9. 27. prædicit abominationem desolationis in loco sancto; cujus Oraculi veritatem applicat Author 1. Macc. 1. 57. persecutioni ab Antiocho Epiphane mortæ, & Jesu Christi Matth. 24. 15. desolationi in ultima obsidione Jerosolymæ sub Romanis; ac tandem pars Interpretum non modica persecutioni sub Antichristo. Nihil hic repugnans, nihil figuratum; tres enim sunt reapse verè, & genuinæ historiæ.

ARTICULUS VI.

Methodus Patrum in expositione Prophetarum oraculorum.

QUO tempore Jesus Christus in mundum venire dignatus est, vulgò Judæi in expositionibus allegoricis & figuratis Scripturæ occupabantur. Semel enim persuasi, Authores Sacros, dum ad scribendum se conferrent, duplicem sermè sensum in mente habuisse, & præter literalem obviumque sensum, alterum majoris momenti occultasse, parcendum sibi non esse laboribus duxerunt, quò è puteo veritatem extraherent. Jesus Christus ita dispositis Judæorum animis accommodandum se duxit; quare docuit e. g. historiam Joñe figuram esse sepulturæ & resurrectionis Messæ (p). Interdum verba ad populum faciens, à literalis & historico sensu statim ne monitis quidem auditoribus, ad spirituale, & figuratum transitum faciebat; ita e. g. postquam venturum Eliam dixit, qui omnia restituet, addidit statim; sed dico vobis quia Elias venit (q). Hic sanè postquam de vero Elia locutus est, statim ad alterum Eliam, à priori illo per figuram indicatum, nempe ad Joannem Baptistam convertitur. Ea exponendi ratio frequentissimè in Epistola ad Hebræos recurrit. Jungitur Melchisedech cum Jesu Christo, vetus cum novo Sacerdotio, cum Synagoga Ecclesia; quæ sanè ita mixta & confusa sunt, ut non nisi in eo Scripturarum loquendi genere instructis pervia esse possent. S. Paulus ad Galat. 4. 24. figurato sermone exponit historias Agar, & Saræ, Jacob & Esau. Eandem methodum secutus Philo Judæus, ut scilicet omnia quæcumque è libris Sacris profeguitur, ad allegoriam detorqueat; hunc insuper fuisse morem Esseniorum à patribus & prædecessoribus suis acceptum idem Philo testatur.

p Matth. 12. 39. 40. 41. Jonas 1. 2.

q Matth. 11. 14. Marc. 9. 11. 12.

T t 2

sa.